



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 81. Postrema Congregatio generalis Sessioni præmissa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. pro conjurandis animalibus, quæ agris, A.C. 1546. fatisque nocent: Cunctos igitur hosce abusus damnari, ac puniri petebant Patres, qui omnes uno ore dicebant, quod Verbum Dei tanta, quanta ei debetur, reverentia æstimari haud possit, ut pro in maximum sit flagitium ad profanos usus illud detorquere: cum autem horum abusu numerus pene numero concludi haud posset, ac aliunde Synodus non eo ex fine convocata foret, ut singulis malis prope innumeris prospiciat: hinc communis opinio eo tendebat, ut Decretum conderetur, in quo tamen peculiaris abusu mentio non fieret, sed ii verbis duntaxat generalibus prohiberentur, de cetero autem poenæ Episcoporum arbitrio relinquerentur, simulque interdiceretur Typographis, ne sacrum quid prius excudant, donec publice approbetur.

## §. LXXXI.

*Postrema Congregatio generalis Sessioni præmissa.*

*Pallav. l. 6.  
c. 16. n. 1.  
Raynald. hoc  
anno n. 45.*

Die septima Aprilis pridie ad Sessionis indictæ diem generalis adhuc habebatur Patrum confessus, quo postrema admoveretur manus Decretis altera die promulgandis: ubi etiam Synodi Promotor quorundam Episcoporum ab-

sen-

sententiam contumaciam accusare iussus <sup>saecul. XVI.</sup>  
 est. Obstitit tamen vehementer Tri- <sup>A.C. 1546.</sup>  
 dentinus Cardinalis, hæc exponens:  
*Saltem Germaniæ Episcopi sint excipien-*  
*di, quos merito excusant Comitatus Ratis-*  
*bonensia, quibus durantibus illorum præ-*  
*sentia in suis Diocæsesibus est oppido neces-*  
*saria, ut Religionis causam defendere,*  
*ac Synodi auctoritatem tueri valeant (\*).*  
 „Nunc enim non agitur de sententia con-  
 „tra hos vel illos sigillatim pronuntian-  
 „da, sed Promotor duntaxat suo mune-  
 „re fungatur generatim contra absen-  
 „tes, neque Concilium postea, nisi sum-  
 „ma æquitas id suadeat, & matura de-  
 „liberatio præcesserit, ad damnationis  
 „sententiam progrediatur. „ Ceterum  
 in eodem Patrum confesso deliberatum  
 fuit de tenore responsionis novo Cæsa-  
 ris Legato reddendæ. Hic paucis an-  
 te diebus a Patavino itinere suo redux,  
 Synodi Præsides altera jam vice invisit,  
 eisque grates rependit, eoquod ei locum  
 in Sessionibus præ cunctis Patribus qua-  
 si e regione Legatorum assignassent.

Kk 2

Post

(\*) Ea, quæ sequuntur, Continuator mi-  
 nus solerter ex Pallavicino descripsit, eaque  
 tanquam a Cardinale Tridentino prolata addu-  
 xit, cum tamen hæc verba ejusdem Cardinalis  
 assertis fuerint opposita.

Sæc. XVI.  
A.C. 1546.

Post hæc amplissimam Cæsaris sui Principis nomine pollicitus est operam, atque hæc subjunxit: *Non sine animi maiore percepi, Præsules quosdam ex Cæsaris ditione non exacta interdum usose se modestia in congressibus, si igitur Legatis probaretur, vellem ipso cætibus interesse, ut illos in officio præsens continere valeam, cunctisque patefiat, esse Cæsaris voluntatem, ut Cæsaris subditi reverentiæ exemplo erga summum Pontificem, sedemque Apostolicam ceteris præluceant. Ad hæc Legati præstita gratiarum actione reposuerunt: Haud diffitemur, quod Præsules, quos sugillas, nonnunquam se consideratius gerere potuissent, generatim tamen laude dignos existimamus propter obedientiam, qua semper Legatis Pontificiis obsequabantur, de cetero, si tibi libuerit generalibus cætibus adesse, id nobis gratum erit.*

§. LXXXII.

*Synodi responsum ad Cæsaris Legatum.*

Cum igitur Cæsaris Legatus oblatam facultatem acceptaret, die quinta Aprilis publice prima vice interfuit Patrum confessui, a tribus Episcopis eo deductus, postquam Legati congregatis Patribus illius adventum nuntiaverant.

Ibi